

## FRANCONIA.

FRANCONIA partim plana est, & partim montosa; montes ipsi haud difficiles sunt; ager non admodum pinguis; nam plerunque arenosus est. Multis in locis consiti colles vineis, gratum producunt vinum; maximè verò apud Herbipolim (vulgò Wirtzburg). Multæ syluæ, & multa venatio est. Terra in multos partita est Dominos, quamvis Episcopum Herbipolensem Ducem Franconiae dicant. Maguntina Ecclesia & Bambergensis plurima obtinent loca. Palatinus quoque Comes haud paruam occupat partem. Marchiones Orantes in ea sunt. Multæ præterea Ciuitates Imperiales apud Francones florent. De Norimberga dubium est, Franconiae an Boiarie cedat; ipsum nomen indicat ad Boarios Vrbem pertinere. Norimberga enim Noricum montem significat; ob quam rem patet Noricorum Ciuitatem fuisse. Noricis autem Boiarie successere: & nunc ea portio terræ Boiarie, quæ inter Danubium & Norimbergam iacet, Noricum appellatur. Ciuitas tamen in Parochia Bambergensi est, quæ ad Francones pertinet. Ipsi Norimbergenses nec Boarios, nec Francones videri se volunt, Sed tertium quoddam separatum genus. Vrbs ea nobilis, magnificis operibus publicis ac priuatis ornata est. Amne Pognitio interlabitur, in agro sterili & arenoso condita, atque ob eam rem industrioso populo: omnes enim aut opifices sunt, aut negotiatores: hinc multæ illis diuinitæ, & magnum in Germania nomen. Aptissima Imperatorum sedes, libera Vrbs, & in medio fermè Germaniae sita. Inter Bambergam & Norimbergam Forchaim iacet, famosum niueo pane Oppidum. Incolæ patriam fuisse Pilati putant. Hæc hactenus Pius II. in Europæ suæ descriptione. Consule etiam Hermannum Comitem Nuenarium, Munsterum, Rithaymerum, Hunibaldum, Abb. Trithemium, & Ioann. Auentinum, qui eius Vrbem primariam Wirtzburgum, olim Pœoniam vocatam autumat.

## MONASTERIENSIS EPISCOPATVS.

DE hoc Episcopatu hæc habet Seb. Munsterus in sua Cosmographia: CAROLVS Magnus tertiam Episcopalem Ecclesiam erexit in mediterraneis Saxoniæ, nunc Westphaliæ in Myningrode, loco, qui postea ab insigni ibi fundato Monasterio, Monasterium fuit denominatum; ordinavitque ibi Episcopum Ludgerum, natione Fri-sium. Cuius successor Harmannus dedicauit & consecratum Monasterium & Ecclesiam trans aquas, in titulum & honorem Beatæ Mariæ virginis; quod Monasterium breui ita creuit, adeoque factum est celebre, ut nomen dederit & Ciuitati & Episcopo, ita ut paulatim abolito veteri Mingardeuordensi vocabulo, incœperit dici Ciuitas & Ecclesia Monasteriensis, quod nomen præualuit in hodiernum usque diem. Hactenus Munsterus. Vide de hoc Episcopatu, & Olnabrugensi, Saxoniam Alb. Crantij. Hæc Vrbs maximam Ann. 1533. cladem ab Anabaptistis accepit, qui eam ciuibus expulsis inuaserunt, Regeque ex eorum colluicie creato, eam contra eius Episcopum, Archiepiscopum Coloniensem, & Ducem Cliensem, qui illam valido exercitu obfederant, per annum quasi tenuerunt; Sed Episcopus tandem cum suis superior factus, supplicium de illis, Regeque illorum (vti meruerant) sumpsit.



